



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De presbytero qui confessus fuerit quòd ante ordinationem peccauerit.  
xlviii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De presbytero qui confessus fuerit quod ante ordinationem peccauerit. Cap. XLVIII.*

**S**I quis presbyter ante ordinationem peccauerit, & post ordinationem peccatum confessus fuerit, quod ante er-  
rauerit: non offerat, sed tantum pro religione nomen presbyteri portet. Si autem non ipse confessus, sed ab alio publicè fuerit cõictus, nec hoc ipsum habeat vt nomen presbyteri portet. Similiter & de diaconibus obseruandum est, vt si ipse confessus fuerit, ordinem subdiaconi retineat.

*Ex cõcil. Cabillon. cap. 5.*

*De eodem. Cap. XLIX.*

**P**resbyter si præoccupatus corporali peccato promoueat, & confessus fuerit de se quod ante ordinationem deliquerit, oblata non consecret, manens in reliquis officiis propter studium bonum. Quod si de se ipse non fuerit confessus, & argui manifestè nequiuert, potestatis suæ iudicio relinquatur.

*Ex cõcil. Neocæsariensi. cap. 8.*

*Vt nullus presbyter absque sacerdotalibus vestimentis Missam celebret. Cap. L.*

**V**T nullus presbyter absque amictu, alba, & stola, & fano, & casula vllatenus præsumat Missam celebrare, & hæc sacra vestimenta mundissima sint, & in nitido loco infra Ecclesiam collocentur: nec vnquam presbyter his indutus extra Ecclesiam exeat: quia hoc diuina lex prohibet.

*Ex cõcil. Remensi. cap. 4.*

*Vt clericus inter tentationes ab officio non declinet. Cap. LI. Ex cõcil.*

**C**lericum inter tentationes ab officio declinatem, vel negligentius agentem, ab ipso officio dicunt remouendum.

*Carth. cap. 50.*

*Vt omnis presbyter in sua Ecclesia singulis dominicis diebus aquam benedicat. Cap. LII.*

**O**mibus diebus dominicis quisque presbyter in sua Ecclesia ante Missarum solennia aquam benedictam faciat in vase nitido, & tanto mysterio conuenienti, de qua populus intrans Ecclesiam aspergatur, & atrium eiusdem Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergat, & pro animabus ibidem quiescētibus oret. Et qui voluerit in vasculis suis accipiat ex ipsa aqua, & per mansiones, & agros, & vineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos & potum suum conspergat.

*Ex cõcil. Hannefensi. cap. 5.*